

pietatis viscera, quę ipsa experientia erga vos sensistis, imitari, bona spe presumimus pro difficultate presentis anni magnificentie vestrę supplicare. Quod licet verecundia nostra vix paciatur, regia tamen animi vestri munificentia ad has insolitas preces nos fiducialiter hortatur, maxime cum beatus Georgius tam vester quam noster patronus sponsionis et votorum vestrorum pignus habeat. Que videlicet quanta opis sue presentia meruit, tanta auctoritatis suę fiducia exigit. Nostra enim instantia sine intermissione summonitus, quemadmodum ipse prepotens signifer initia vestra felicissimis consecravit auspiciis, ita se vobis rebusque vestris perpetuum tutorem defensoremque prestatbit.

16.

Der Dekan P(oppo), der Vitztum R. und M(einhard) an den Bischof (Gunther): machen ihm Vorwürfe wegen seines falschen Verhaltens und berichten, daß sie mit Burchard verhandelt und daß die Schöffen sich zugunsten der Sache des Bischofs geäußert haben. (1063 etwa April.)

Cod. Paris. lat. 2903 fol. 51'.

Domno dilectissimo P. decanus, R. vicedomnus, M. suus.

Si ea cura vos vestri que nos in hac rerum tempestate stimulet, non erat dubium, quin vobis et segura gloria et gloriosa securitas parata foret. Ita sub die nocteque^a nobis hæc recusat estuatio, ut si quantum inde cogitare licet, tantum per nos effici posset, aut optimus aut optimo proximus eventus sperandus esset. Sed forsitan queratis, quonam modo divinum illud et singulare consilium excudere et architectari possitis. Enimvero non ita multum negotii est scire, quid agatis, modo quod in rem est agatis. Id porro est, quod litteris proximis¹ significavimus, ut exquisita moderatione omnem habitum vestri temperetis, animus vester equior sit quam studiosior, favor vester gravior sit quam proclivior, ut non tam unas partes fovere quam de utrisque deliberare prudenti equanimitate videamini. Ante omnia verbis promissisque vestris^b consultum velitis. Dicit enim spiritus Dei: 'Mors et vita in mani-

16. ^a) noctemque c. ^b) uris c.

¹) Nicht erhalten. Um was es sich bei der ganzen Sache überhaupt handelt, ist unklar.